



FR He d. De Lopez Velasco Correa

179

X

Me de Loure
deu Lima
Res. 8 P.

Al Sr. D. Juan de
de ant. Salazar Medico
ela D. de pea

Al Sr. m. m. de Loure
Sr. de ant. Salazar

Hle do ~~Padre M~~^{el}
~~de Barros Barbosa~~

~~Hle do Padre M~~
~~de Barros Barbosa~~

2. *Filiucio t. 2.*
1. *Suma Sumularum A. G. Gar. Cardil. Eo.*
1. *Exoticas de fazes e zerradas.*
1. *Gavantes nas e Remonias da missa. spegion.*
1. *Lagoge filozofica. B. D. A. G. m. a.*
1. *Arte Poetica Espanola.*
1. *Tratado de Vallã adeps e leganciarum.*
1. *Tabulador Planetas.*
1. *Onygrafia de Bento Per.*
1. *Pedro Godofredo de am. rit.*
1. *Declaratio articulorum fidei.*
1. *St. Lorenus.*
1. *Alguell Verino.*
1. *Barclayo.*
1. 5. *livros q. ficant de B. de Barro.*

177-3 -

ISAGOGGE
PHILOSOPHICA.

AUTHORE PETRO
Fonseca Lusitano D. Theologo
Societatis IESV.



OLYSSIPONE.

Apud Antoniũ Alvarez. Anno Dñi 1591.

ISAGOGÆ
PHILOSOPHICÆ

AVT. HOFER P. R. T. O.
Londrae, in aedibus D. J. B. P. S. P.
MDCCLXXV.



RES 203

SUMMA PRIVILEGII.

POr priuilegio del Rey nosso senhor cõcedido aos padres da Cõpanhia deste Reyno, ninguẽ pode imprimir, nẽ fazer imprimir, nã trazer de fora quaesquer liuros, cõpostos, ou ordenados, ou trefadados por elles, sopena de perder os ditos liuros, & de 30. cruzados, como mais largamente se contem no dito priuilegio.

Facultas Sancti Officij.

Esta Isagoge Philosophica se pode imprimir.

Em Lisboa, aos 5. de Nouẽbro de 1591.

Antonio de Mendocça. Diogo de Sousa.

Facultas Ordinarij.

Imprimase. Em Lisboa. 5. de Nouẽbro, 1591.

Christophorus.

Facultas Regij Senatũs.

Podese imprimir este liuro. Em Lisboa. 6. de
Nouembro de 1591.

Hieronymo Pereira. Diogo Lameira.

Facultas Generalis Praepositi

Societatis IESU.

Hæc Philosophica Isagoge facultate Reuerendi admodum P. N. Generalis Claudij Aquæuiæ excudi potest. Olyssipone. 6. die Nouembris, Ann. Domin. 1591.

Ioannes Correa.

A 2

Author

AVTHOR PHILOSOPHIAE studiosis.



C R I P S I T Ante
multa secula Porphyrius
Phœnix ad Chrysaorium
Romanū eam Isagōgen de
quinq; uniuersalium gene-
ribus, quæ ante librum Ca-
tegoriarū Aristotelis ex-
plicari solet. Verūm ex eo tempore, quo Sacra
Theologia via, & ratione tradi capit, tanta re-
bus Philosophicis ex assidua Theologorum de re-
bus maximis, & difficillimis disputatione acces-
sio facta est cognitionis, & scientia; ut iam diu
planè constet, multa illum ea dere latuisse; nō pau-
ca etiam ab eo minus perspecta fuisse, quæ nostris
temporibus iam inde ab ipso Categoriarum ve-
stibulo Philosophia alumnos necesse est prælibare.
Mitto complura eius libelli superuacanea esse,
aut parum coherentia, quæq; lectoribus frustra
negotium exhibeant. Qua de causa optarūt no-
stri, ut alia Isagoge à me conficeretur, & plenior
ad doctrinam, & ad veritatem certior, & ad ge-
neralem scientiarum usum cōmodior: unde etiā
illud effectū in sperabant, ut à Christiana Phi-
losophiæ scholis perfidi desertoris Christiana fidei
liber ex

*liber exploderetur . Vsq; adeò enim exosum erat
 Porphyrij nomen, cum Arius Christi Ecclesiam
 petulantius inuaderet , ut quò eius sectatoribus
 maius odium constaretur, iusserit Magnus Cõ- 2 . Tri-
 stantinus in ea epistola , quam ad Episcopos & partitæ
 populum scripsit, Arianos vocari Porphyrianos: cap. 15.
 qua in epistola eum, & scelestum, & impium, &
 capitalem pietatis hostem appellat . His ego ra-
 tionibus adductus nec potui, nec verò debui, alio-
 rum votis non obtemperare, in re præsertim, quæ
 nullo labore exijs, quæ in cõmentarijs primæ Phi-
 losophiæ scripseram, depromi posset . Sic autẽ, hoc
 est non iam præludij more , sed veræ institutionis
 forma hanc Isagogen ex humanæ ac diuinæ Phi-
 losophiæ obseruatione composui , ut facile queat
 utriusq; amatores ad grauiorẽ doctrinã seriò tra-
 ctandã, colendamq; introducere . Quamquã verò
 extremus huius libelli tractatus profundior vide-
 ri possit , quàm ut tyronibus Philosophiæ expli-
 cari debeat ; proindeq; non iniuria possit à præce-
 ptoribus omitti: additus tamen est, tum ne qua de
 sit vniuersalium species, vbi de toto eorum genere
 agitur: tum quòd hac tempestate ferè ab enarra-
 toribus Porphyriane Isagoges ea de re differitur,
 æquumq; est, ut quæ ratione de re granissima lo-
 quendum sit præscribatur : tum deniq; quia etsi
 accurata eius explicatio sit difficilis , à nobis ta-
 men hoc loco rudis tantum , & familiaris quedã*

cognitio traditur, quam quivis facile capessat,
Quare cum hominis impij, & aperti Christi ho-
stis nec completum, neq; accuratum opusculum in
Christiane Philosophiæ Academijs locum inue-
nerit: non est cur vereatur hoc nostrum plenioris
doctrinæ studio confectum, ne pijs studiorum ca-
ribus excludatur; honorum potissimum, & veri-
tatis amatorum approbatione, patrocinioq;
munium. Olyssone. XII. Kal.

Novembris. Anno

Dñi. 1591.

ISAGOGÆ PHILOSOPHICÆ.

PROEMIVM.



OMMUNIS Philosophorum sententia est, artes omnes, & scientias de rebus vniuersalibus differere, nec de singularibus singulatim, nisi exempli aut inductionis causa agere. Quanquam ab hac sententia exempta est diuina natura, quæ etsi maximè singularis est, de ea tamen & diuina, & humana Philosophia disputant, quòd singularitate ipsa suarum omnium perfectiones perfectissimè in se contineat. Cùm igitur Dialectica sit omnium scientiarum ordine doctrinæ prima; eaq; vna omnibus ritè philosophantibus facè præferat; ad eam pertineat necesse est, vt quam primùm doceat quid nã sit vniuersale, quotq; sint species, formæue vniuersalium. Quocirca exacto primarum institutionum præludio, quo totius Dialecticæ lineaméta rudi, vt aiunt, Minerva describuntur; opus sanè est, vt seriatim exerceri cupientibus, post accuratiorē

PROOEMIUM.

quādam artis Dialecticæ constitutionē, quæ
utiliter à præceptoribus hoc loco ante om-
nia præmitti solet, mox tradatur expressior
aliqua, & ipsius vniuersalis, & vulgarū eius
specierum, Generis, Speciei, Differentiæ, Pro-
prij, & Accidentis cognitio: quod nos hæc
Philosophica Isagoge in gratiam studiosorū
Philosophiæ facere conabimur.

Illud etiam causæ accedit, quòd Aristote-
les, quem in hac arte ducem omnes sequun-
tur, à libro Categoriarum orsus est totius
artis explicationem; quo in libro res omnes
vniuersales ad decem quædā suprema genera,
quæ in varias admodū species, per alias atq;
alias differentias diuiduntur, reuocare insti-
tuit; eorumq; omnium quædam proptia se
tradere, quædam communia accidentia pro-
fitetur; cum tamen vel quid vniuersale sit, vl-
lā ve eius species, vel quam vim eorū quodq;
habeat, in eo tractatu minimè declaret.

Deniq; cum eorū cognitio necessaria quoq;
sit ad cognoscenda genera omnia modorum
differendi, qui in diuidendi, definiendi, demō-
strandī, & ex probabilibus suadendi ratione
positi sunt; nullo loco id commodius, quàm
ante Categoriarum librum fieri potuit.

Hoc igitur in libello duo à nobis obseruā-
da erunt.

PROOEMIUM.

da erunt. Vnum, vt neq; omnia difficilia, quæ in re hac se offerunt, respuamus (assuetudine enim iam hinc oportet alūnos Philosophiæ modicis difficultatibus tractandis, superandisq; ijs præsertim, quæ ad ea, quæ sequuntur, faciliorem aditum aperiant) neque omnia item sine discrimine in medium afferamus. Nam cum Dialectica primæ Philosophiæ sit æmula, & in eisdem rebus, in quibus illa, suo tamē modo versetur, naturalisq; scientiæ fines nonnunquā ingredi videatur: si liberiùs quidem hoc loco in expendenda vniuersalium ratione, generationeq; expatiemur, periculum est ne modum excedamus, & pleraque assumamus, quæ sunt earum scientiarum propria, & peculiaria. Tametsi incōmodum non est, sed vtile potius, ac sapè necessarium, vt vna scientia aliarū permissu nōnullis earum pronuntiatis, & argumētis vtatur. Alterius enim (vt quidam ait) altera poscit opē res, & coniurat amicè. Id quod huic arti eò magis concedendum est, quòd ea vna præ cæteris opes suas omnes vndecunq; conquisitas in aliarum vtilitatē refundere soleat.

Alterum est, vt seruata cōmuni, vt par est, Philosophorum huius ætatis verborum consuetudine, ex Aristotele, quoad fieri potest,

depromamus omnia, aut excommunicatoribus,
magisq; receptis totius scholæ sententijs de-
sumamus; cuiusmodi sunt pleraq; eorū, quæ
in Ifagoge Porphyrij continentur. Quæ ver-
rò ille, graui alioqui Patrum censura damna-
tus, quasi propria in eo libello attulit, ea nos,
si vera sint, & vsurpata, neq; inutilia, aut su-
peruacanea (qualia sunt ferè, quæ in po-

steriori parte eius libelli continē-

tur) tanquā ab iniusto pos-

sessore in nostrū vsū

transfere-

mus.

QVID SIT VNIVERSALE.

CAPVT. I.



MULTA QUIDEM dicuntur apud Philosophos vniuersalia cū adiectione ali qua; vt vniuersales causa, signa vniuersalia, vniuersalia pronūciata, & quæ alijs modis sic vnitatē habent, vt tamen ad plura pertineant. Verū vniuersale simpliciter, & absolutē, ac minimē singulare, id solū esse definitur, quod cū sit vnum quid, aptum est natura sua vt sit in pluribus; veluti animal in singulis animalibus, & homo in singulis hominibus. Describitur etiam ex proprietate quadam, vnum quippiam naturā aptū vt de pluribus prædicetur, seu verè dicatur. Nā quia res est, aut non est, oratio vera, aut falsa dicitur. Sic animal prædicatur de Alexādro, & Bucephalo, quia in illis esse cernitur; & homo similiter de Socrate, Platone, & Alcibiade, quòd in eis suum esse habeat.

Non est autem necesse vt id quod vniuersale est, sit vnum quippiā re ipsa in ijs de quibus

6 ISAGOGÆ PHILOSOPHICÆ

bus prædicatur, ut cum via dicitur de ea, quæ hinc & illinc proficiscētibus a clipis simul re ipsa, & decliuis est; sed nomine & ratione siue conceptu. Quàm multa enim re ipsa sunt ea plura, in quibus vniuersale existit, tam multa & illud re ipsa sit necesse est; quo pacto dicimus, animal in Alexandro, & Bucephalo esse duas res quasdā, & hominem in Socrate, Platone, & Alcibiade tres; cum tamen nō solum nomen, sed etiam ratio animalis in Alexandro & Bucephalo vna, & eadem sit; eodemq; modo nomē, & ratio hominis in Socrate, Platone, & Alcibiade.

Nec verò dictum est à Philosophis, quicquid est vniuersale, esse actu in pluribus, sed aptum, ut sit in pluribus; quia etsi actu in vno singulari sit tantum, aut etiam in nullo; si tamen aptitudinem habeat ut sit in pluribus, siue simul, ut Orator, aut Propheta; siue successiue, ut Monarcha, aut Summus Pōtifex; vniuersale utiq; censerī debet.

Dicitur porrò vniuersale aptum, non per potentiam externam, sed natura sua; quia siquid in rerum natura esset, quod per alienā potentiam in pluribus existere nō posset, cui tamen spectata rei natura nihil repugnaret in pluribus reperiri; satis hac ex parte ipsa

eius natura & conditio foret, vt vniuersale diceretur. Quanquam duo hæc, quæ nonnulli Ethnici Philosophi, & alij quidam ex nostris in Mundo, & substantijs separatis vera simul esse putauerūt, pugnare inter se existimamus.

Cœterum non esse satis si res aliqua quouis modo possit esse in pluribus, vt eorum habitudine dicatur vniuersalis, veluti per reale compositionem, aut inhærentiam; ex posteriori definitione colligitur. Est enim anima in homine, & equo tanquam realis forma in pluribus compositis; & albedo in cygno, & marmore, vt reale accidens in pluribus subiectis inhærentis: nec tamen aut hæc vniuersalis est comparatione cygni, & marmoris; aut illa respectu hominis, & equi, cum de illis verè dici nequeant: quod idem in alijs plerisque rebus facile est obseruare. Sed necesse est, vt in illis esse possit per veram identitatem, eamq; talem, vt plura illa, in quibus est, illud esse affirmantur.

Quanquam neq; id satis est, nisi sit veluti eorum forma: erit autem, si illis dederit esse aliquod, aut ad essentiam eorum pertinens, aut illis quasi subiectis adiunctum, appositumque. Qua de causa nec corpus dicitur vniuersale comparatione albi, & nigri; neq; album,

aut

8. *ISAGOGE PHILOSOF.*

aut nigrum respectu dulcis, & mollis, cum quibus in butyro album coniungitur, & nigrum in casia.

: Deniq; plurimum nomine, intelligēda sunt non quæuis plura, sed talia, ut in eis vntum illud sit multiplicatum, & suo ipsius nomine plura dici possit, ut homo in Socrate, & Platone plures homines; & animal in homine, & equo plura animalia. Siquid enim commune ita sit in pluribus, & de pluribus dicatur, ut tamen in eis multiplicatum non sit, nec nomine suo plura in illis appellari possit, id iam non vniuersale dicendū erit, sed singulare; quo pacto se habet Deus Optimus Maximus diuinarum personarum comparatione.

*QUOTVPLEX SIT VNIUER-
SALE. CAPVT. II.*



V M igitur, quicquid vniuersale est, ratione modo aliquo vna & eadem possit esse in pluribus; ex multiplicitate rationis vnus, & eiusdē, modorumq; essendi, ut ita dicam, in pluribus, colligendum est, quàm multa sint

ta sint vniversalium genera.

Dici autem potest ratio vna & eadem (si id quidem fusissimè intelligatur) modis quatuor. Aut enim est vna & eadem quodammodo, nēpe sola attributione ad vnum aliquid, aut proportionē plurium inter se, simpliciter autem plures ac diuersæ, vt rationes sani & ægri: alia enim dicuntur sana aut ægra, quia sanitate, aut ægritudine affecta sunt; alia quia hæc efficiunt aut conseruant; alia quia indicant: & quemadmodum corpus ad huiusmodi externas affectiones se habet, sic quodammodo animus ad interiores, ac suas. Aut est quidem eadem simpliciter in ijs, quibus conuenit, siue æquè ab illis participata, sed non vna simpliciter, hoc est, in se ipsa, cuiusmodi sunt rationes domus, natis, mundi, exercitus, & aliarum huiusmodi rerum; quia etsi eodem modo conueniunt ijs de quibus dicuntur; nulla tamen earum est vna in se, siue quæ vnā aliquam naturam declaret: sed res multæ certo quodam modo, aut ordine coagmentatæ, ac dispositæ, ex quibus natura aliqua vna non resultat. Aut verò contra res habet, quòd sit vna simpliciter, atq; in se, sed non eadem simpliciter in ijs, de quibus dicitur; cuiusmodi est ratio colorati cōparatione alij,

ne albi, & carbonis. Nam etsi naturam verè
vnàm declarat, tamen albo conuenit essentia
li habitudine, carboni autem accidentaria.
Aut denique est & vna simpliciter, & eadem
simpliciter, seu (quod dici solet) omnino vna
& eadem; quia & est vna in se, & eodem mo-
do participatur ab ijs, de quibus dicitur; qua-
les sunt rationes hominis, & animalis.

Ac ea quidem quæ primo modo vnus &
eiusdem rationis sunt, etsi sæpe ab Aristote-
le vniuersalia appellântur, & nonnunquam ab
æquiuocis excluduntur; veluti cùm ait, ens &
vnum esse maxime vniuersalia; & ens quidem
multis modis dici, sed non æquiuocè: nobis
tamen hoc loco non sunt fusiùs tractandæ; par-
tìm quia non propriè dicuntur vniuersalia, sed
opinionè quorundam, & imitatione propriè
dictorum vniuersalium; partìm quia veriùs
in æquiuocis, quàm in vniuocis numerantur,
atq; in ipso libri Categoriarum initio ab Ari-
stotele æquiuocorum nomine comprehenduntur,
vt à Prædicamentorum tractatu excludantur.
Quocirca satis est, si Dialectici hoc loco
intelligant multa quoq; ex hoc genere vniuer-
salium sub scientiam cadere, aptaq; esse, vt de
illis, & ex illis demonstrationes fiant: quod
sæpe docet Aristoteles. Quæ autem secundo
modo

modo vnius, & eiusdē rationis sunt; ea, quia non sunt vnius alicuius veræ naturæ, nec per se (si res quidem diligentius expendatur) in prædicamentis locum habent; non proprie hîc tractanda sunt: sed tamen, quia eorum rationes eodē modo cōmunicantur ijs, de quibus dicuntur, quasi propria vniuersalia haberi debent; eisque dissimulatione quadam attribuenda sunt, quæ hîc de generibus, speciebus, & cæteris vniuersalium formis dicuntur; præsertim cū in tanta syncerè vniuersalium ignoratione, hæc vt vera genera, & species sæpe à Philosophis in exemplū afferantur, & quasi talia tractentur. Quæ verò tertio modo sunt vnius, & eiusdem rationis, etsi quatenus non eodem modo participantur, neque vniuocè dicuntur, in hac tractatione locum non habent, quemadmodum neq; in prædicamentis; simpliciter tamen, quia vnius veræ, & synceræ naturæ sunt, ad vtramque disputationem spectant, quòd cum ijs conferri possint, quibus æquè communicantur, vt coloratum cum albo, & nigro. At quæ quarto, extremoque modo sunt vnius, & eiusdem rationis, vt omni ex parte verè, ac propriè vniuersalia censentur, eaque sola absolutè ac simpliciter in definitione vniuersalis intelligi solèt;

Ita sola deinceps à nobis in varias formas distribuenda, communiterq; ac diuissim; quatenus tamen licet, tractandz sunt.

Diuidi autē hæc ipsa rectè in quinque vulgatas species, ex vario essendi modo in suis particularibus, hac ratione intelligetur. Aut enim pertinent ad eorum essentiam, aut minime: si pertinent, aut de illis prædicantur in quæstione quid est, aut in quæstione quale est: si in quæstione quid est, aut totam eorū communem quidditatem continent, aut partem: si partem, sunt genera; si totam species. Quod si ad essentiam eorum pertinent, nec tamen in quæstione quid est, sed in quæstione quale est, de illis dicuntur, sunt differentia. Denique si ad eorū essentiam non pertinent, & tamen necessariò conueniunt, propria dicuntur; si contingenter, accidentia. Ita non est cur plures, paucioresue species verorum, propriæque dictorum vniuersalium poni debeant.

Non sumitur autem vlla eorū specifica distinctio ex eo, quod alia prædicentur de differentibus solo numero, vt homo; alia de differentibus specie, vt animal; alia de differentibus, aut diuersis genere, vt album, aut relatiu; quia etsi hæc distinctio satis est ad iudicandū
alia esse

alia esse vniuersaliora, alia minus vniuersalia; non est tamē satis ad vniuersalitatū, vt sic dicam, communitatūue naturas discernendas, cum non sumatur ex vario essendi modo in particularibus, sed ex maiori, minori particularium multitudine. Quæ omnia ex propria singularum specierum explicatione apertiora fient.

DE PARTICULARIBVS.
CAPVT. III.



NICVIQVE autē vniuersali ex altera parte plura particularia respondent, vt unicuiq; toti siue essentiali, siue integrali, plures partes. Vniuersale enim, quod Græcè est τὸ ἅπλοῦς, quasi de tota aliqua multitudine prædicabile; & particulare quod τὸ ἅπλοῦς ἐκ ἑσῶ π dicitur; veluti per singula, seu singularim numeratum; in vicem referuntur, vt totum quoddam cōmune, & pars ei supposita. Est enim particulare, vnum quippiā, quod vniuersali alicui subijci potest, vt Socrates homini, & homo animali; aut vigilantī. Nam quædam modum, vt aliquid sit vniuersale, ac

prædicabile, non est necesse, vt a actu in fit, aut prædicetur, sed vt in esse, ac prædicari possit; ita vt sit particulare, ac subijcibile, vt sic dicam, non opus est, vt a actu sub sit, prædicationem quæ a actu suscipiat, sed vt subesse, ac subijci in prædicatione possit. Hac ratione, et si nec vigilans, erit vniuersale prædicatum respectu hominis, nec vicissim homo, erit particulare subiectum comparatione vigilantis, si nemo a actu vigilet; semper tamen illud est vniuersale, ac prædicabile comparatione hominis, & vicissim homo, particulare, & subijcibile respectu illius.

Atque vt ex vniuersalibus quædam minus vniuersalia sunt, vt homo, & albedo; quædam magis vniuersalia, vt animal & color; quædam maximè, vt substantia & qualitas; ita ex particularibus quædam sunt minùs particularia, vt duo illa iam dicta, animal & color, quædam magis particularia, vt homo & albedo; alia vero maximè, vt hic homo, & hæc albedo; atque hæc dicuntur singularia, & indiuidua.

Singulare autem, siue indiuiduum est id, quod vnum aliquid cum sit, in pluribus esse, & de pluribus suapte natura prædicari non potest. Quæ omnia eodem modo intelligenda sunt, atque in definitionibus vniuersalis.

Dicitur

Dicitur quoque indiuiduum id, quod de vno solo prædicatur seu prædicari potest: qua in explicatione, ex parte differentia, quæ illud ab vniuersali distinguit, affirmatio simul prædicationis de vno, cum negatione de quouis alio coniungitur. Quamquam verò prædicationis eiusdem omnino de seipso artis expertus est, & quodammodo nugatoria; neque eam Aristoteles prædicationis nomine dignatur comprehendere, cum ait, à primis substantijs nullam esse prædicationem: comprehendenda tamen hæc est in prædicandi verbo, vt definitio iuxta sententiam Aristotelis omnibus indiuiduis conueniat. Nam cum ille credat, primas substantias, quæ sunt præcipua indiuidua, de nulla re prædicari posse naturali prædicatione ac directa; indirectas verò, siue contra naturam, & per accidens omnino reijciat; efficitur, vt illud vnum, de quo illarum quæq; iuxta hanc definitionem prædicari dicitur, sit ea ipsa prima substantia, quæ prædicatur.

Quapropter ex prædicatione de vno, quæ hæc posterior definitio cum negatione coniungitur, quatuor indiuiduorum genera accommodatè ad Aristotelis sententiam elici possunt. Vnum, eorum quæ suo modo prædicantur in quæstione quid est, vt Socrates de se ipso (In-

hil enim tam est vnum, quàm ipsummet:) al-
 terum eorum, quæ prædicantur in quæstio-
 ne quale est, quæ essentialè aliquid quærat,ur,
 vt individualis differètia Socratis de eodem
 Socrate: tertium eorū, quæ in quæstione qua-
 le est, accidentarium aliquid petente, sed ta-
 men necessarium, vt hoc verum de hoc auro;
 quartum eorum, quæ contingenter, vt hoc al-
 bum, de hoc saxo. Atque hæc omnia sunt ve-
 rè, ac propriè singularia, siue individua, quæ
 etiàm signata, seu demonstrata, & determina-
 ta dicuntur.

Sunt & alia individua, quæ partim vaga,
 partim ex suppositione appellantur; quorum
 vtraque, etsi reuera naturæque sua de pluri-
 bus dici possunt; tamen pro veris individuis
 aliquando vsurpantur. Vaga, sunt ipsa vni-
 versalia cum nota particularitatis adiuncta,
 vt quidam homo, quoddam animal: tametsi,
 quæ de pluribus specie dici possunt, potius
 particularia vaga, quam vaga individua dici
 debent, quòd pro vniuersalibus aliquando ac-
 cipiantur; vt cum dicimus, quoddam animal
 esse speciem. Itaque non ex generibus, sed
 ex infimis speciebus, si propriè loquendū est,
 fiunt vaga individua; vt apud Aristotelē cum
 in primarum substantiarum exemplū affer-
 quæ-

quendam hominem, & quēdam equum, sumpto equo, non pro toto equorum genere (si equus de pluribus specie dicatur) sed pro certa eorum specie.

Ex suppositione vocātur ea, quæ actu quidem de vno solo dicūtur, quia nihil sit aliud, de quo tunc prædicari possint; sed tamē ex se apta sunt, vt de pluribus dicantur, veluti Sophronisci filij, qui de solo Socrate dicebatur, quòd Sophroniscus nullum haberet, præter Socratem. Ex quibus colligi potest, non rectè definiri indiuiduum, cū n dicitur id esse, quod ea habet, quorum singula quidē de pluribus dicantur. simul autem iuncta in aliquo alio nunquam erunt, nisi definitio de solo indiuiduo ex suppositione tradatur. Nam etsi multa communia simul iuncta de vno solo aliquando dicantur, neque vnquam futurū sit, vt alicui alteri rei conueniant (vt si quis describens Paridem dicat, esse filium Priami Troiani Regis ex Hecuba natu maximū; aut Aristotelem, esse Nicomachi, & Phæstiadis filium Alexandri Magni præceptorem) nō dubium est tamen, quin spectata natura cōmunium attributorum, de pluribus dici possint. Itaque & Priamus ex eadem vxore suscipere poterit alium filium natu maximū, si alio

tempore primum suscepisset; & Nicomachus alium ex Phæstiade, qui præceptor etiã Alexandri fuisset. Communia enim quantũuis multa iungantur, nunquam tamen naturam communitatis amittunt, vt alia alijs singularitatem, quam in se non habent, cõferre possint. Atque hæc de vniuersalium, & particulariũ ratione, distinctioneque dicta sint, deq; singularibus, quæ magna ex parte, vel ipsis sensibus nota sunt, & perfecta.

DE ABSTRACTIONE VNI-
 VERSALIVM A SINGVLARIBVS.
 C A P V T. III.



OGNOSCUNTUR autẽ à nobis vniuersalia abstractione, siue separatione quadã à singularibus, in quibus existunt, non reali tamẽ, sed rationis cõsiderationis q;.

Valeant enim illa Platoni ascripta vniuersalia anilibus fabulis similia, quæ si re ipsa à singularibus seiuncta essent (quod Aristoteles illum putasse, aut credit, aut fingit) neque ad eorum esse, neque ad cognitionem cõferrent.

Fit autem hæc abstractio, | cùm intellectus

sensuum ministerio colligit ex rebus singularibus, non naturas ipsas communes, quæ in eis existunt, sed species quasdam, similitudinesue naturales, quibus illæ sine vlla individuali differētia repræsentatur. Omnis enim cognoscēdi facultas, quæ in nobis est, per species quasdam ex rebus ipsis acceptas abstrahit, ac secernit suum obiectum ab aliarum cognoscentium facultatum obiectis; verbi causa cū in butyro simul existāt & albedo, & dulcedo, & peculiaris odor, & mollitudo, aliaque accidentia, & ipsa etiam butyri singularis substantia: aspectus quidem per speciē albedinis, quam per oculos accipit, abstrahit, ac seiungit albedinem à dulcedine, cæterisque in lacte existentibus, cum quibus illa re ipsa nihilominus coniuncta manet; & similiter gustatus per speciē dulcedinis abstrahit dulcedinem; eodemq; modo cæteri sensus, tum externi, tum etiam interni: nisi quod sensus cū sint materiales, organoq; corporeo affixi, sola singularia cognoscunt, nec nisi quædam materialia, & sensibilia ab alijs materialibus, & sensibilibus abstrahere possunt; qua de causa species omnes, quibus ad cognoscendum vtuntur, sensibiles vocantur. At intellectus cū sit immaterialis potentia,

neque organo vlli corporeo inhæreat, nobilitate naturæ suæ potest vniuersalia percipere, eaque à singularibus abstrahere per altioris naturæ species, quas vocant intelligibiles.

Huiusmodi verò abstractio hunc in modum efficitur. Vulgati quidem sensus externi, cum sint primi quasi ianitores mentis nostræ, acceptis, & haustis quodammodo speciebus sensibilibus accidentium eorum rerum, quas præsentibus habent; sumptaque per eas noticia intuitiua, seu præsentiali eiusmodi accidentium, renunciant sensui cõmuni, qui omnibus præfidet, & partim internus, partim externus dici potest, quænam accidentia coram habeant; transmissis videlicet ad eum similibus quibusdam speciebus, per quas ille omnia, quæ à singularibus percepta sunt, cognoscere potest; eaque inter ipsa conferre, ac distinguere. Dicit autem potest sensus communis partim internus, partim externus, quia etsi sede, & quasi domicilio internus est; officio tamen, si externus appellatur, nihil refert, quod nihil priuatim apud se, sed tantum in præsentia rerum ipsarum cognoscere potest, quemadmodum, & quinque externi vulgati.

Deinde verò sensus cõmunis pulsata quodammodo phantasia, quæ proximè intellectui ministrat,

ministrat, & omnino internus est sensus, per species, quas ab externis sensibus accepit, occasione ei præbet hauriendi ex illis quasdã alias species, quæ phantasmata vocantur, & adeo nobiljs naturæ sunt inter sensibiles, siue materiales, vt absentia quoque, præterita, futura, & alia pleraque earum rerum, quæ alijs sensibus percepta non sunt, repræsentare possint, vt præteritam iniuriam percussionis, & futurum commodum pabuli, venenum itẽ, quod in herba noxia est, & vtilitatem, quæ in salubri; quorum phantasmatum quasi admonitu, & suggestione, canis fustem, & ovis lupũ fugit, illeque venatorem, hæc pastorem sequitur: tantãque est eorum vis in hominibus propter coniunctionem phantasiæ cum intellectu, vt doctissimis hominibus placeat, illa substantias quoque ipsas singulares materiales, quæ sub sensibilibus accidentibus latent, repræsentare posse; ipsamque phantasiam eiusdem coniunctionis causa, singularia ex singularibus componere, & ex alijs in alia ratiocinando discurrere.

Denique phantasia, quæ vna potetia cum sit, ex varijs officijs, quibus fungitur, varia nomina, rationesque sortitur; oblati, vt ita dicam, intellectui phantasmatis, ei materiam, obiectã.

bus; ut tum primum natura vniuersaliter existere in mente censeatur, cum per speciem quamlibet intelligibilem representatur, aut per conceptum illi conformem percipitur; siue species, & conceptus communes sint, siue minus communes; siue etiam species gignantur ministerio phantasmatum, siue sola intellectus operatione.

Atque hac una ratione verum esse potest, quod apud Philosophos dici consuevit, vniuersalia fieri operatione intellectus. Nam cum quicquid fit, nouam existentiam actualem acquirat, eaque sit duplex; realis una, quam vniuersalia, ut talia sunt, habere nequeunt (quidquid enim realiter existit, singulariter existat necesse est:) altera obiectiua, quam eisdem sensitiuæ facultates dare non possunt; efficitur, ut sola intellectus operatione vniuersalia, ut talia sunt, fiant, suoque modo gignantur, seu (quod idem est) obiectiue existant; habitu quidem, in speciebus intelligibilibus, quibus representantur; actu vero, in conceptibus, quibus percipiuntur.

DE TRIPLICI CONSIDERATIONE vniuersalium, & particularium, & quo pacto ea ad Dialecticam pertineant.

Caput. V.

Denique



DENIQVÈ vniuersalia
 & particularia tribus mo-
 dis, quemadmodum & cau-
 se & effecta, cōsiderari pos-
 sunt. Nā vt causæ & effecta
 vno modo spectantur qua-
 tenus res quædam sunt, vt
 sol quatenus sol, & aurum quatenus aurū: al-
 tero, vt causæ aut effecta sunt, veluti sol, vt pig-
 nit aurum, & aurum, vt gignitur à sole; tertio
 vt inuicem referuntur, alterū vt causa ad effe-
 ctum; alterum vt effectus ad causam; sic res
 habet in vniuersalibus & particularibus. Pri-
 mo enim modo considerantur, vt res quædā,
 nulla vniuersalitatē, particularitatisue habi-
 ta ratione, vt animal quatenus animal, & ho-
 mo quatenus homo; secundo, vt vniuersalia
 sunt, aut particularia: aliud enim in animali
 est, esse animal; aliud, esse commune homini,
 & bestia, cum illud omnibus animalibus cō-
 ueniat; hoc soli animali præcisè sumpto, seu
 non considerato cum vlla differentia contra-
 hente: eodemque modo aliud est in homine,
 esse hominem, quod solis hominibus conue-
 nit; aliud esse specietim animali subiectā, quod
 ab alijs animalibus participatur. Tertio mo-
 do considerantur, quatenus mutuis relationi-
 bus

bus; ut tum primùm natura vniuersaliter existere in mente censeatur, cùm per speciẽ quãlibet intelligibilem representatur, aut per cõceptum illi conformem percipitur; siue species, & conceptus communiõres sint, siue minùs communes; siue etiam species gignantur ministerio phantasmatum, siue sola intellectus operatione.

Atq; hac vna ratione verũ esse potest, quod apud Philosophos dici consuevit, vniuersalia fieri operatione intellectus. Nam cùm quicquid fit, nouã existẽtiã actualẽ acquirat, eãq; sit duplex; realis vna, quã vniuersalia, vt talia sunt, habere nequeunt (quidquid enim realiter existit, singulariter existat necesse est:) altera obiectiua, quã eisdem sensitiuæ facultates dare nõ possunt; efficitur, vt sola intellectus operatione vniuersalia, vt talia sunt, fiant, suõque modo gignantur, seu (quod idem est) obiectiue existant; habitu quidem, in speciebus intelligibilibus, quibus representantur; actu verò, in conceptibus, quibus percipiuntur.

DE TRIPLICI CONSIDERATIONE vniuersalium, & particulariũ, & quo pacto ea ad Dialecticam pertinent;

Caput. V.

Denique



DENIQVÉ vniuersalia
 & particularia tribus mo-
 dis, quemadmodum & cau-
 se & effecta, cōsiderari pos-
 sunt. Nā vt causæ & effecta
 vno modo spectantur qua-
 tenus res quædam sunt, vt
 sol quatenus sol, & aurum quatenus aurū: al-
 tero, vt causæ aut effecta sunt, veluti sol, vt pig-
 nit aurum, & aurum, vt gignitur à sole; tertio
 vt inuicem referuntur, alterū vt causa ad effe-
 ctum; alterum vt effectus ad causam; sic res
 habet in vniuersalibus & particularibus. Pri-
 mo enim modo considerantur, vt res quædā,
 nulla vniuersalitatē, particularitatisue habi-
 ta ratione, vt animal quatenus animal, & ho-
 mo quatenus homo; secundo, vt vniuersalia
 sunt, aut particularia: aliud enim in animali
 est, esse animal; aliud, esse commune homini,
 & bestię, cū illud omnibus animalibus cō-
 ueniat; hoc soli animali præcisè sumpto, seu
 non considerato cum vlla differentia contra-
 hente: eodemque modo aliud est in homine,
 esse hominem, quod solis hominibus conue-
 nit; aliud esse speciem animali subiectā, quod
 ab alijs animalibus participatur. Tertio mo-
 do considerantur, quatenus mutuis relationi-
 bus

bus se se respiciunt, vniuersalia quidem, vt tota quædam communia; particularia verò, vt partes quædam subiectæ.

Ac primo quidem modo omnes scientiæ, & artes de vniuersalibus differunt, vt initio dictum est: non tamé omnes de omnibus, sed aliæ de alijs, vt Physica, de omnibus animalium, & plantarum generibus: Moralis scientia: de cunctis virtutum & vitiorum formis, Medicina, de omnium morborum, & curationum communibus differentijs. Secundo autem & tertio modo ad solam primam Philosophiã, & Dialecticã spectat, de vniuersalibus, & particularibus agere. Esse enim vniuersale, & particulare, relationesque vniuersalium & particularium inter se se, cum communes rerum affectiones sint, nec magis ad ea quæ cadunt sub vnius scientiæ considerationem, quàm ad ea, quæ sub alterius, pertineant; ad eas scientias spectent necesse est, quæ versantur circa res omnes, cuiusmodi sunt sola prima Philosophia, & Dialectica; vt sophisticè mittamus, quæ non ad veritatem, sed ad captionem comparata est. Verùm modus considerandi vtriusque, diuersus est. Prima enim Philosophia de his agit, vt de communibus rerum affectionibus: Dialectica verò, quatenus eorum cognitio ad

disse-

differendi rationem, communemq; vsum cōfert. Mirum enim in modum pendet nō modo doctrina, sed vsus etiam Dialecticæ ex vniuersalium, & particularium consideratione, eorūque respectuum, quibus vniuersalia ad particularia, & vicissim particularia ad vniuersalia affecta sunt. Quamquam respectus ipsi, siue relationes minoris momēti, & in prima Philosophia, & in Dialectica, censentur, quam ipsæ vniuersalium, & particularium rationes, quæ superius explicatæ sunt.

Sed cū in definitionibus vniuersalis tria spectentur, rerum vniuersalium vnitas, aptitudo vt sint in pluribus, & aptitudo vt dicantur de pluribus, illud intelligere oportet, et si omnia hæc ab vtroque artifice modo aliquo tractantur, primum tamen Philosophum de duobus tantum prioribus, Dialecticum verò de solo tertio ex proprio instituto differere. Primus enim Philosophus non alia de causa de generalibus prædicandi modis agit, nisi vt eorum ductu generales essendi modos inueniat: neque item de definiendi ratione disputat, nisi vt multa de rerum quidditate, ac natura doceat. At Dialecticus ideo quædam de modis essendi rerum, earūque vnitate, & distinctione tradit, seu potius à primo Philo
C sopho

topho accipit, vt omnes prædicandi, differentiæque rationes colligat. Atque hoc idem de tribus alijs particularium cõditionibus, quæ his altera ex parte respondent, de eorum, in quam vnitate, & aptitudine, vt suis vniuersalibus subsint, eisque in prædicatione subijciatur, sentiendum est.

DE DUPLICI RERUM
VNIUERSALIVM VNITATE.
CAPVT. VI.



ILLUD etiam prætereundum non est, duplicem esse rerum vniuersalium vnitatem; quarum altera formalis dici solet; altera nostro iam more præcisionis appellatur.

Formalis vnitas nihil est aliud, quam indiuisio rei vniuersalis in seipsa, hoc est, in natura, rationeue sua; qualis est indiuisio animalis in eo quod est animal, & hominis in eo quod est homo. Non sic indiuisa sunt senatus, populus, quadriga, quia in rationibus suis non sunt indiuisa, sed actu diuisa ac multa. Dicitur autem formalis hæc vnitas, quia est pluribus communicabilis, quemadmodum, & ipsa

res vniuersalis, cuius est vnitas, primaque proprietatis.

Vnitas verò præcisionis idem est, quod indiuisio rei vniuersalis nõ in seipsa, sed in sua particularia, qualis est indiuisio animalis in hominem, & bestiam, hominisque in Socrate, & reliquos singulares homines. Dicitur verò præcisionis, quia non conuenit rei vniuersali in quocunque statu sumptæ (quo pacto ei conuenit vnitas formalis, quæ semper rem comitatur, siue antequam ad sua particularia contrahatur, siue cum iam in eis contracta est, siue postquam est ab illis abstracta, & quasi auulsa per intellectum) sed præcisè in eo statu, in quo apta est, vt ad sua particularia descendat, & in ea diuidatur ac multiplicetur. Quatenus enim res apta est vt sit in pluribus, in eaque diuidatur, & multa dici possit, nec dum tamen naturæ ordine diuisa & multiplicata est; eatenus est indiuisa in illa, ac proinde vnum quid, hac præcisionis vnitate. Alioqui si sumatur vt iam est in suis particularibus, in eisque diuisa & numerabilis, iã est multa, & non vnum, hoc vnitatis genere.

Differunt autè in tribus potissimùm hæc duo genera vnitatum. Primum quod vnitas formalis est proprietatis rerum vniuersalium,

vt res sunt; vnitas autem præcisionis est proprietas earum, vt vniuersales sunt, siue quatenus aptæ vt sint in pluribus. In hac enim aptitudine posita est, tota vniuersalitatæ essentia, quo tamen modo illa essentiæ nomine appellari potest. Proinde in priori illa definitione, qua vniuersale dicitur vnum quid aptum vt sit in pluribus, nomine vnus, quod loco generis ponitur, & pro re vniuersalitatæ subiecta sumitur, intelligenda est vnitas formalis, aut potius vnitas, vt communis est formali, & numerali rerum singularium: vnitas autem præcisionis, etsi in ea definitione non exprimitur; ex aptitudine tamen essendi in pluribus, quæ rationem vniuersalitatæ complet, necessario colligitur; quippè cum id, quod aptum est, vt sit in pluribus, dum eam retinet aptitudinem, vt paulo ante diximus, indiuisum in plura sit, ac vnum, hoc genere vnitatis.

Differunt etiam in eo quod vnitas formalis est indiuisio purè negatiua; vnitas autem præcisionis, priuatiua. Formalis enim nullā supponit aptitudinē rei vniuersalis, vt sit multa in seipsa: id enim quod in seipso indiuisum est, nullo modo in seipso diuisum esse potest: præcisionis autem vnitas supponit aptitudinem,

nē, qua res vniuersalis esse potest in suis particularibus diuisa & multiplicata. Eodē modo dicimus, negationem aspectus, in lapide quidem, esse puram negationem, quòd lapis nullam habeat aptitudinem ad videndum; in homine autem cæco, esse priuationem; quòd is natura sua aptus sit vt videat.

Denique differunt in hoc, quòd formalis vnitas multiplicatur cum rebus ipsis vniuersalibus in earum particularibus; vnitas autē præcisionis non item; tam multæ enim sunt vnitates formales naturæ animalis in particularibus animalibus, & naturæ humanæ in particularibus hominibus, quam multa sunt animalia particularia, & ipsi particulares homines. At vnitas præcisionis est vnica tantum vnus communis naturæ in sua communitate acceptæ, cum qua communitate ad sua particularia non descendit; ex quo discrimine patet, vnitatem formalem esse etiam vniuersalem, quemadmodum est res ipsa, cuius est vnitas; vnitatem verò præcisionis esse singularē, quo pacto est singularis aptitudo ea, quam supponit, ac sequitur. Vnde fit, vt à sola vnitæte præcisionis, dicere possimus animal esse vnum numero genus; & hominem vnā numero speciem; totque esse numero primaria

obiecta intellectus nostri, quot sunt numero res vniuersales.

Itaque cum vnitas generaliter sumpta in formalem, & numeralem diuidatur, formalisque sit propria rerum vniuersalium, quatenus absolutè sumuntur, præcisionis autem vnitas sit numeralis earundem rerum, quatenus sunt vniuersales; reliquum erit vt vnitas numeralis simpliciter & absolutè sumpta sit propria & peculiaris rerum singulariũ. Atq; hæc communiter de quinque vniuersalium speciebus formisue dixisse sit satis.

Nunc de singulis agendum, si prius tamẽ admoneamus, ea, quæ in hoc libello vel dicta sunt hæctenus, vel post dicentur, quæ difficiliorem videantur habere intelligentiam, non esse hoc loco à præceptoribus accuratiùs explicanda, minùs etiam tractanda, fusiùs & exquisitiùs disputanda, sed familiaribus tantum exemplis exposita, quasi credita supponenda esse, vt ijs intelligendis, quæ toto Philosophiæ cursu tradenda sunt, vsui esse possint. Nam vt his penitus ignoratis necesse est Philosophiæ auditores in medio cursu sæpe hallucinari, & passim impingere; ita cum in ipso ingressu longioribus, grauioribusque disputationibus onerantur, vt ea profundius intelligant,

intelligant, despondent animum, & à suscepto opere vi quodammodo illata desistunt; aut certè ita se gerunt, vt non modo ea tandem non percipiant quòd maioribus Philosophiæ præsidijs indigeant, sed etiam fessi & tædio affecti ad reliqua persequèda minori affectu, & studio ducantur. Quocirca satis erit ea hoc loco vt cumq; capere, memoriæq; mandare & ferè sola Magistrorù fide tenere, donec suis locis apertius intelligantur. Oportet enim, vt tradit Aristoteles, discitem credere; quod de ijs præcipuè dictū esse constat, quī in ipsis scientiarum exordijs versantur. Atq; hoc idē in prædicamentorum tractatu, in explicatione futurorum contingentium, quæ in libris de interpretatione traditur, & alijs locis similibus obseruandum est. Denique velle rudibus adhuc ingenijs, & parùm exercitatis hæc omnia quasi ad calculos, vt aiunt, reuocate, eorūque à nouis auditoribus accuratam rationem poscere, ineptum valde, & in decorum est: turpe est enim ea à tyronibus exigere, quæ sæpè à veteranis pro dignitate vix præstari solent. Sed iam quid genus sit, & quam vim habeat, dicamus.

DE GENERE. CAPVT. VII.



CENVS si fasè sumatur, multis modis dicitur. Nam sepe nomine generis pro speciei, aut quasi speciei abutimur; vt cùm dicimus, multa esse genera linguarum, multa colorum; & omnino cùm communiùs aliquid in minus communia deducimus, etsi minus communia nihil cõmune sub se habeant, sed ipsa singularia duntaxat. Propriè tamen quatuor fermè videtur esse generis significata.

In primis generatio rerum eiusdem speciei, si continuata sit, nec intercisa, genus appellatur, quasi communis quædam genitura; idq; nulla ratione habita alicuius primi progenitoris. Quæ eadem significatio toti etiã multitudini generantium, & genitorum eiusdem successionis accommodatur. Hac significatione vtimur, cùm dicimus, Quandiu fuerit hominum genus, hoc est, eorum continuata generatio, vel generantium, & genitorum non intermissa successio; quæ tamen hac significatione non diceretur vnum genus, si communi illa totius orbis inundatione omnes homines, qui tunc erant, periissent, alijsque ratione alia, quàm per generationem ex scemina,

na,

na, procreati essent.

Dicitur & genus, ipsa origo continuatae generationis ab vno aliquo generante. Qua ratione dicimus omnes homines, qui vnquam geniti ex muliere fuerunt, genus duxisse ab Adamo; itémque à Noë omnes, qui post generale diluuium nati sunt; Græcos etiam à Græco, & Iones ab Ione. Quam vsurpationem facillè in totam quamlibet familiã transferimus, in qua duplex habitudo cernatur; altera natiuæ cuiusdã dependentiæ à primo parente, ac capite totius multitudinis; altera cõsanguinitatis omnium inter se se, qua vtraque habitudine vnumquodque huiusmodi generum ab alijs eiusdem significationis generibus distinguimus. Affinis huic significationi est ea, qua genus sumitur pro origine ex patria, aut natione etiam; quanquam, & natio communior quædã patria dici potest, cum Æneas & Italiã quærat patriam, & genus ab Ioue summo: vt Poëta in eodẽ versu vtriusque generis meminerit, & eius, quod à patria ducitur, & eius quod à primo progenitore. Hoc pacto dicimus, Platonem esse genere Atheniensem, & Aristotelem flagiritam; vel potius Platonem Achaicum genere, & Aristotelem Macedonem; patria verò hunc flagiritã,

illum Atheniensem. Nā et si patria maiorem vim habet in generatione cuiusque, natio tamen generalius in gignendo concurrat.

Tertia iam usurpatio Philosophorum est propria, ut genus sumatur pro subiecto, in quo variae differentiae cernantur; sic superficies dicitur planarum figurarum genus, & solidarum solidum, diuersaeque scientiae, & artes circa diuersa subiecta genera versantur, de quorum singulis singulae proprias cuiusque affectiones demonstrant; nec licet vni in alterius genus transitum facere, ut ait Aristoteles.

Quarta praecipuaque significatio, Philosophisque maximè familiaris est, qua genus id dicitur, cui subijciuntur species. Atque huic similes sunt aliqua ex parte duae superiores. Est enim genus hoc modo sumptum, principium quoddam, & quasi origo suar specierum in quas veluti propagatur, & in earum compositione quasi materiae, oppositarumque differentiarum subiecti vicem obtinet. Hoc igitur describens Aristoteles, genus id esse ait; quod de pluribus specie differentiibus in quaestione quid est praedicatur. Quod si omnia, quae in hac descriptione intelliguntur exprimenda sunt, eoque modo locanda,

vt con-

vt congruenti ordine excludantur ea, quæ à ratione generis aliena sunt; dicendum est, genus esse vniuersale quiddam, quod necessario, & secūdum essentiam prædicatur in quæstione quid est de differentibus specie, seu (quod his verbis innuitur) in completa naturæ communis significatione. Sic enim explicata notione generis, primum excludūtur indiuidua, quæ à ratione generis remotissima sunt; deinde accidentia, quæ sunt in finæ classis vniuersalia; tertio verò loco propria; quæ necessariò cōueniant; tum quarto differentia, quæ iam ad essentiam pertinent; extremo species, quæ sola ex vniuersalibus completè continet naturam communem singularium.

Non sunt tamen hæc omnia variæ differentia, quibus generationis ordine constituatur genus, vt sunt illæ, quibus de finimus hominē, cum dicimus illum esse substantiā corporeā, corruptibilem, viuentem, sensitiuam, rationalem; sed indicant vnā differentiam (qualiscunq; ea sit) quæ tantam vim habet, quantā ista particulatim declarant. Quod cum ita sit, non erunt quærendæ inter vniuersale, & quinque eius vulgatas species aliæ species interiectæ, quæ in eas diuidantur; quemadmodū nec sub colore quærimus interiectas colorum

rum species, quæ in ultimas distribuuntur; tametsi inter has, aliæ magis cum his, quàm cū illis conueniant. Nec differt descriptio hæc à profundiori generis definitione, nisi quatenus pro essendi verbo, quod prædicationis fundamenta significat, utitur verbo prædicandi; ut sic habere possit suo modo essentialis definitio: Genus est vniuersale, quod necessario, secundum essentiam, & quidditative est in pluribus specie differentibus. Atque hæc duo documenta in cæteris similibus aliorum vniuersalium definitionibus memoria rependa sunt.

Diuiditur autem genus ratione rerū, quæ genera denominantur, in genera summa, & subalterna. Summum genus est, quod supra se genus aliud non habet: & quod genus cū sit, non etiam est species, ut substantia, quantitas, qualitas: subalternum autem siue medium, quod supra se aliud genus habet; & quod cū genus sit, est etiam species, veluti substantia corporea, & quantitas continua.

Sunt autem genera summa, si de veris rebus, & completis sit sermo, decem numero, substantia, quantitas, qualitas, ad aliquid, actio, passio, in loco esse, in tempore, situs, & habitus, quæ categoriarū prima principia, & quasi fon-

si fontes habentur: ens enim, quod rerum omnium comune genus videri potest, generis rationem non habet, quia etsi omnino æquiuocum non est, non tamen est vniuocum, vt tradit Aristoteles; sed inter hæc medium quippiam, quod analogum appellant. De subalternorum autem generum, siue mediocum multitudinem, cum & genera, & species sint, in explicatione speciei commodius agetur.

DE SPECIE. CAPVT. VIII.



SPECIES vulgò dicitur externa rerum forma, quæ aspectui obijcitur; à qua res aliæ speciosæ, aliæ deformes, aliæ neutrû dicuntur. Hinc est illud Euripidis; prima quidè species digna est, quæ imperet; quò alludit Aristoteles cum ait; si corpore tantum excellent homines, quantum Deorum imagines, omnium iudicio digni viderentur, quibus seruiretur à cæteris.

Apud Philosophos autè sæpe nomine speciei appellantur similitudines quædam naturales, quibus cum sensus, tum intellectus res sibi obiectas percipiunt; quas superius sensibiles

biles & intelligibiles appellari diximus. Fortis
ma etiã, quæ substantiã cuiusq; rei naturalis
complet, nonnunquam species dicitur; quam
illi secundum causarum genus faciunt.

Vsurpatissima verò apud eos significatio
est, qua speciem sumunt pro parte genere sub
iecta, quæ tamen cõmunis sit; quo pacto ho
mo est species animalis, & arboris laurus. Eã
porrò sic definiunt; species est, quæ generi in
quæstione quid est subijcitur, & de qua genus
in quæstione quid est, prædicatur. Explicatiùs
autem sic describi potest, vt dicatur. Particu
lare quiddam, quod generi in quæstione quid
est, proximè subijcitur, seu (quod eodẽ redit)
de quo genus sic prædicatur. Homo enim spe
cies est animali subiecta, & de qua animal nõ
in quæstione, quale est, sed in quæstione, quid
est, dicitur; verum nõ interuentu alterius, sed
proximè, siue immediatè.

Nec mirari quisquã debet, quòd species in
definiendo genere, & vicissim genus in definiẽ
da specie adhibeatur. Nam cum in genere &
specie, quatenus alterum vniuersale est, alterũ
particulare, definiendis vtile & expeditũ sit
eorum inter se relationes innuere; hoc cum
fit, necesse est alterum vicissim in alterius de
finitione ponere, Alioquin satis foret, Aristoteli

telē dixisse, genus id esse, quod de pluribus cōmuni natura & essentia inter se differentibus in quæstione quid est, prædicatur.

Ut autem genus ratione rerum, quæ dicuntur genera, diuiditur in suprema & media, siue subalterna; ita species hoc modo accepta in subalternas, & infimas. Subalternæ sunt, quæ ita sunt species, ut sint etiam genera: & infra quas sunt aliæ species; veluti animal, quod ita est species viuentis, ut etiam sit genus hominis, & bestię. Infimæ verò sunt, quæ cum sint species superiorum, non sunt inferiorum genera: & infra quas nō sunt aliæ species; velut homo, qui ita est species animalis, ut non sit genus singulorum hominum: neque enim homines differunt à se inuicem specie, sed solo numero. Hæc verò omnia dicta sint de speciebus ut particularia quædam sunt, partésue generi subiecta.

Sed cum ea, quæ dicuntur species infimæ superiorū, nō sint genera inferiorū, de quibus tamē prædicatur in quæstione quid est, hinc nascitur alterū genus vniuersaliū, quod veteribus nomine quoq; speciei appellare libuit; quæ est quarta apud Philosophos speciei significatio magisq; huius tractationis propria. Definiri autē solet hūc in modū. Species est,

quæ

quæ prædicatur de pluribus differētibus numero in quæstione quid est. Explicatiùs autē, & aptiori ordine; species est vniuersale, quod necessariò, secūdum essentiã, & in quæstione quid est, de ijs rãtū prædicatur, quæ solo differēt numero: seu (quod idem valet) de ijs, quæ differunt numero, cōpletè dicitur; vel (simaui) immediatè: quo pacto prædicatur homo de solis hominibus singulis.

Estque hæc vniuersalium species, omnium perfectissima, & rationer erum, quæ vniuersales dicuntur, & ratione ipsius vniuersalitatís, communitatisue. Ratione quidem rerum, quia res omnes, quæ species infimæ vocãtur, perfectiores sunt omnibus generibus, & differentijs, quibus constant, & quibuslibet ipsarum proprietatibus, & accidentibus. Ratione autem ipsius communitatis, quæ vnitatē, idētitatēque vniuersalium cum suis particularibus declaratur, quia nullum vniuersale aliud tam est vnum in se; tantamque idētitatē habet cum suis particularibus, quàm species infima cum suis iōdiuiduis. Id quod in causa fuit, vt cū Plato, tum ceteri Philosophi omnes in infimis speciebus, diuidendo, definiendo, ac demonstrando consistendum esse iudicauerint, vt in quibus rerum omnium vniuersalium

salium perfectio cernatur. Quamquam verò indiuidua perfectiora sunt, magisque entia, quam infimæ species, vt tradit Aristoteles, relinquuntur tamen iure optimo, partim quia eorum plurima, certo numero comprehendi nequeunt, vt sub scientiam nostrâ cadere possint; partim quia omnia, quæ sub eadem specie infima continentur, parem habeant inter se naturæ perfectionem, vt qui vel vnus cognitionem nactus fuerit, non necesse habeat aliorum notitiam inuestigare. In vtroq; autem contra se habent species. Nam exceptis paucis quibusdam, quas vel minus naturalis animalium coniunctio in dies parit, vel inferendi, actiuæque passiuæ applicandi artes paulatim inueniunt; aliarumque causarum naturalium fortuito concursu ex multis coalescere interdum solent (quarum cognitione successu temporis dirantur artes, & scientiæ) ceteræ omnes numero sunt certæ, ac definitæ, et si nobis magnâ ex parte sint ignotæ. Quod idem de subalternis generibus dicendum est.

Itaque sub genere summo substantiæ numeramus substantiam corpoream, & incorpoream; sub corporea, corruptibilem, & corruptionis expertem; sub corruptibili, viuentem, & non viuentem; sub viuente sensitiuam, &

sensus expertem, quas animal, & plantam appellamus: sub animali hominem, & brutū animal; sub homine autem, nullus iam certus est numerus singulorum. Eodēque modo descendere possumus per eas species, quas in hoc progressu relinquimus, donec ad infimas cuiusque ordinis perueniamus. Nisi quod non est necesse bifariam semper genera dividere. Nam etsi substantia corruptibilis in simplicem, & mistam diuiditur; simplex tamen in quatuor elementorū species distribuitur, plātaque in tria stirpium genera, arborem, fruticem, & herbam diducitur: quod idem in compluribus alijs generibus accidit, quæ in plures, quam duas species, sed tamen finitas distribuuntur. Ita nunquam fiet, vt siue à superioribus generibus descendas, siue in transuersum progrediaris, in infinitas species, quæquidem sint veræ, ac germanæ species incurras, vt mittamus eas, quæ non ordinaria, sed absoluta Dei potestate in rerum natura esse possunt, de quarum numero non agimus.

De earum autem perfectione omnes consentiunt, nullas omnino æquè perfectas reperiri posse. Sunt enim species rerum, vt tradit Aristoteles, numerorum speciebus similes, vt quemadmodū in numeris nullæ species sunt

inter

Inter se multitudine unitatum æquales, ita in speciebus rerum nullæ sint perfectione pares. Quod Aristotelis pronunciatû, et si in ijs speciebus, quarum aliæ superiores sunt, aliæ inferiores, proprie intelligitur, in cæteris tamẽ suo etiã modo locum habet, quod omnes (vt idem alibi docet) per se naturasque suas prioris, & posterioris inter se ordinẽ teneãt; quopactò colores, qui primo, perfectissimoque colori propinquiore sunt, perfectiores habentur; & quæ animalia primo, perfectissimoque animali magis propinquant, maiorem perfectionem habeant necesse est.

Porro quemadmodum genera natura sua priora sunt speciebus suis generationis ordine; ita est species suis generibus ordine perfectionis: vnde fit, vt à speciebus ad genera rectè procedatur siue essendi, siue existendi consequentia; à generibus autem ad suas species, neutra consequentia retro committet.

Item, vt species sunt nobis notiores inuentionis ordine; ita & genera ordine accuratæ cognitionis. Nam vt in inuestigandis naturis communibus progredi solemus ab inferioribus, quæ sunt propinquiora sensibus, ad superiora; sic in eis dividendis, definiendis, demonstrationeq; tractandis à superioribus

ad inferiora descendimus.

Deniq; vt ascendēdo à speciebus ad genera, & ab indiuiduis ad species ex multis vnū colligimus, ita descendendo à generibus ad species, & à speciebus ad indiuidua, ex vno multa facimus. Participatione enim speciei multi homines, vnus homo sunt; at vnus, & cōmunis, particularium cōditionum additione, plures; quod idem de animali cōparatione hominis aliarūque eius specierum dici potest. Atque hæc de genere, ac specie dixisse sit satis.

DE DIFFERENTIA.
CAPVT. IX.



DIFFERENTIA vno modo dicitur quælibet diuersitas; qua significatione, ea etiam dicimus differre inter se, quæ toto genere diuersa sunt, vt substantiam & qualitatem. Proprie tamen differentia est diuersitas eorum, quæ alioqui sunt vnus omnino rationis: qua differentia, sola ea, quæ vel genere, vel specie, vel numero idem sunt, differre inter se dicimus,

vt hominem ab equo, Socratem à Platone, & eundem senem à se ipso iuvene.

Nota verò est differentię hoc pacto sumptę in cõmunem, propriam, & maximè propriam distinctio. Communis dicitur, quę re ipsa separari potest, vt sedere, stare, iuuentus, & similia. Propria, quę et si re ipsa inseparabilis est; tamen ad essentiam rei non pertinet, vt cicatrix cùm callum obduxit, cęsius oculorũ color, & communium naturarum proprietates. Maximè verò propria est, quę essentiam efficit diuersam, vt rationale; hoc enim in causa est, vt homo diuersę sit essentię ab equo, & cæteris brutis animantibus. Itaque communis, & propria rem aliter affectã reddunt, aut certè alio modo habentem, sed maximè propria efficit, vt sit aliud secundum essentiam.

Diuiditur etiam differentia primum quidẽ in separabilem, & inseparabilem: deinde inseparabilis in differentiam per se, & per accidens. Differentia per se est eadem cum maximè propria, diciturque differentia per se, quia est per se diuisiua alicuius superioris, & alicuius inferioris cõstitutiuã; quopacto sensitiuum est diuisiuum viuentis, & constitutiuum animalis; rationale autem diuisiuum ani-

malis, & cōstitutiuū hominis. Differentia per accidens, si absolutè sumatur, nō vt membrū diuidens inseparabilis differentia, cōplectitur cōmunes, & proprias, vocaturq; per accidens, quia accidentario tantū discrimine diuidit, ac differre facit.

Ea igitur missa, duplex est differentia per se, vna specifica, altera individualis. Specifica est, quæ cum genere constituit speciem, siue mediā scilicet, siue infimam; individualis autem, quæ cum specie infima constituit indiuiduū siue vnum numero. Hæc fit, vt quicquid propriè differt ab alio differentia per se, & non per accidens, id omne, aut differat specie, aut solo numero.

Nēq; enim audiendi sunt, qui nullā differentia per se inter indiuidua eiusdē speciei infimæ agnoscunt, sed ea tantū distingui volūt per accidentia. Nullum enim prædicamentū est, quod per se ipsum, & sine adminiculo alterius prædicamenti non sit satis ad constitutionem suarum specierum, & indiuiduorum, siquidem impermissa sunt prædicamēta omnia à summis generibus, ad indiuidua vsque, nec quærendæ sunt in vno prædicamēto differentia, quibus constituentur species, aut indiuidua alterius. Sed quemadmodum ex
pote-

potestate cuiusque generis quodammodo nascuntur differentia specierum effectrices, ita ex potestate cuiusque speciei infimae suo modo oriuntur differentia individuales.

Dicitur quoque differentia specifica id, quo species genus excedit. Quo eodem pacto dici potest differentia individualis esse id, quo individuum excedit infimam speciem. Ut enim homo in sua essentia communi hoc amplius habet, quam animal, quod sit rationis particeps; ita Socrates in essentia sua singulari, hoc superat essentiam hominis communis, quod sit hic singularis, ac determinatus.

Dividi etiam solet differentia per se in divisivam, & constitutivam. Verum haec potius sunt varia officia differentiae, quatenus differentia est (quod iam ex dictis patet) quam differentiarum genera, quemadmodum & tertium illud, quod est facere differre. Nulla enim differentia per se est, quae tria haec eodem ordine, quo numerata sunt, non exequatur, cum & dividat aliquid superius, & aliquid inferius constituat, illudque ab alio, alijsue eiusdem divisionis membris differre faciat. Quanquam si divisivae, & constitutivae differentiae respectu unius, & eiusdem communis naturae sumantur, nulla eadem differentia est, quae tria haec praestare

possit, sed necesse est, ut alia, vel alia eam constituant, & ab alia, vel alijs differre faciant, alia verò diuidant; quopacto alia est quæ substantiam corpoream constituit & ab in corporea differre facit; alia quæ diuidunt incorruptibilem & corruptionis expertem; alia ite sunt, quæ animal constituunt, & ab incorporeis substantijs, incorruptibilibus, simplicibus, plantisque differre faciunt; alia quæ in varias species distribuunt.

Denique diuiditur differentia specifica in generalem & specialem. Generalis est, quæ constituit speciem, quæ ipsa genus etiam est; ut sensitium. Specialis, quæ constituit speciem, quæ non item est genus; ut rationale. Sed hæc dicta sunt de differentia, quatenus differentia est, non quatenus est tertia vniuersalium species, tamen si omnia ad hanc posteriorem considerationem non parum conducunt.

Describi autem solet differentia, ut vniuersale quoddam est, hunc in modum. Differentia est id, quod de pluribus specie differentiibus in quæstione quale est, prædicatur; idque (ut intelligi solet) secundum essentiam. Et hæc quidè differentia explicatio, quæ ex Aristotele desumpta est, in solas generales differentias conuenit;

conuenit; idque ea de causa vitio non datur, quod differentiarum speciales minus notæ sint, minusque usurpatæ. Dicuntur autem generales in hac posteriori differentiarum consideratione, quia prædicantur de differentibus specie; speciales autem, quia de differentibus solo numero; quæ differentiarum genera nec differunt specie inter se, neque ipsæ sunt genera, sed sola magis minusque vniuersalium ratione distinguuntur.

Communis tamen descriptio omnibus specificis differentiis est, qua differentia dicitur id, quod de pluribus in quæstione quale est, secundum essentiam prædicatur. Complectitur enim & generales, & speciales differentias; excluditque apto ordine singularia, categoricæque vniuersalia; si hoc modo intelligatur. Differentia est vniuersale, quod necessariò & secundum essentiam prædicatur de pluribus in quæstione, quale est. Quæ omnia ex ijs, quæ supra dicta sunt perspicua relinquuntur.

Comparatur autem differentia specifica cum genere, quod diuidit tanquam forma substantialis cum propria materia; cum ipsa verò specie, quæ constituit, vt eiusmodi forma cum naturali composito substantiali; cum tamē nec forma, nec materia, quæ sunt partes reipsa cō-

ponētes totum, prædicetur de naturali cōposito. Genus autem, & differentia, quæ cum specie vnum atque idem re sunt, in cocunq; individuo, de specie dicātur. Hæc de quocūq; libus, quæ essentiali prædicatione de suis particularibus dicuntur.

DE PROPRIO. CAPUT. X.



PROPRII etiā nō eadē est usurpatio, qua ratione propriū est, & qua certa vniuersaliū species. Quatenus enim propriū est, vni soli cōuenit, ei scilicet cuius est propriū; at quatenus vniuersale, de pluribus dicitur.

Funditur autē propriij vocabulū, quatenus propriū est, si generaliter omnino sumatur, nō modò ad ea, quæ accidūt rebus, sed etiam ad ea, quæ in essentijs earū cōtinētur, siue vniuersales illæ sint, siue singulares (nihil enim est in rerū natura, quod aliquid sibi propriū nō habeat) nec tantū cōplectitur simplicia siue incōplexa, sed complexa etiā. Qua generali cōsideratione ipsæ etiā differentię specificæ, & indiuiduales, dicuntur propriæ species, & indiuiduis, quæ ex illis proximè constituantur; & nonnunquam apud Aristotelē ipsæ

ipsæ definitiones qualescunque sint comparatione rerum, quæ definiuntur, propriij nomine comprehenduntur.

Missis tamen ijs propriijs, quæ ad essentias rerû pertinet, cõplexisq; omnibus; quod quidē ad simplicia & accidētaria attinet, in ore omniû est quadripartita illa propriij diuisione, qua propriû dicitur aut soli speciei accidere, sed nõ omni. seu toti; vt homini blesum esse abortu, vel esse Gramaticû: aut omni, sed non soli; vt esse bipedē, vel intelligentiæ participē; aut omni & soli, sed nõ semper; vt canescere: aut omni & soli, & semper; vt esse disciplinę, rî sũ sue capacē. Quæ distinctio apta est, si partim exponatur rectè, partim emēdetur. Nam quod omni accidit sed nõ soli id reuera, si simpliciter & absolutè loquēdũ est, proprium dici non potest, vt tradit Aristoteles; neque ei conuenit tradita propriij, quatenus propriû est, generalis explicatio. Potest tamen dici proprium ad aliquid (vt idem loquitur) nempe comparatione earum rerum, quibus non conuenit, quod est esse proprium secundum quid; quo pacto proprium est hominis cõparatione quadrupedum aut serpentium, bipedem esse; & comparatione plantarum, aut brutarû animantiû, habere intelligentiã, cum
 alioqui

alioqui duos habere pedes auibus conueniat; intelligentia verò, substantijs à materia separatis. Emendabitur autem diuisio, si nomine speciei, quo infima intelligi solet, quælibet res vniuersalis concipiatur. Omnes enim species, siue infimæ siue subalternæ, adde & omnia summa genera, sua habent propria accidentaria.

Proinde accuratior diuisio erit si propriū simplex, & accidentarium distinguatur: primum in proprium simpliciter, quod absolute soli conuenit rei, cuius dicitur proprium: & in proprium secundum quid, siue comparate, quod iam explicatum est. Deinde proprium simpliciter in propriū perfectè, & imperfectè. Perfectè illud est propriū, quod tres illas conditiones sibi vendicat, vt omni & soli, & semper accidat. Quicquid enim huiusmodi est, recipitur cum re, cuius est proprium, habetque in ea causam adæquatam, cur ita conueniat. Imperfectè autem, cui vel sola prima cōditio deest, vt blefo ab ortu, respectu hominis; vel prima & tertia, vt Grammatico, eiusdem habitudine; vel sola tertia, vt canescenti. Nam si desit secunda, id iam non erit proprium simpliciter, sed secundum quid. Ita potest alia quadrimembris solius proprii
simpli.

simpliciter diuisio vsurpari, vt vel accidat soli, & semper, sed non omni; vel soli quidem, sed neque omni, nec semper: vel soli & omni, sed nō semper; vel omni & soli, & semper, quorum exempla ex dictis patent. Hac verò ratione secundus modus prioris diuisionis rejicitur, quod sit proprium secundum quid; primus autem diuiditur in primum, & secundū posterioris; tertius verò & quartus iidem sunt in vtraque. Atque hæc de proprio, quatenus proprium est, iuxta primam nominis impositionem, rationemque, satis fuerint.

Quatenus verò propriij nomen quartæ vniuersalium speciei accommodatur, alij sic definiendum putauerunt, vt in quæstione quale est, de ijs tantum dicatur, quæ solo differunt numero. Quopacto etsi priori definitionis parte recte excluduntur genus & species; posteriori tamen non rectè rejiciantur differentia & accidens, quod duo hæc non semper de differentibus specie prædicentur, sed sæpe etiã de ijs, quæ differunt solo numero. Corrigi tamen solet de finitio, reiecta posteriori parte, substitutisq; hoc modo alijs verbis. Propriū est vniuersale, seu quod prædicatur de pluribus in quæstione quale est, accidentaliter, & necessariò: vt prima parte rejiciantur indi-
dua,

dua; secunda, genus, & species; tertia, differenti-
 tia; quarta vero accidens. Exemplo sunt pro-
 prietas ridendi, capessendi disciplinas, sen-
 tiendi, generandi, incedendi, intelligendi, &
 alia huiusmodi; et si earum quaedam non re-
 currant cum genere aliquo, aut specie. Porro
 necessarii nomine hac in re, non quævis neces-
 sitas, sed quæ ex ipsa natura subiectorum du-
 catur, intelligenda est.

Ac si proprium quidē sumatur, ut propriū
 est, atque ad eō ut perfectē propriū (nulla
 enim de imperfectē proprijs in hac conside-
 ratione proposito diuisionis habetur ratio)
 illud generale dici solet, quod recipitur
 cum genere aliquo; speciale, quod cum aliqua
 infima specie. Si verō ut est quarta vniuersa-
 lium species, generale dicitur, quod prædica-
 tur de pluribus specie differentiibus. Specia-
 le, quod de ijs tantum, quæ solo numero dif-
 ferunt. Seu recipiuntur cum genere aliquo
 aut specie, seu minimē, ut dictum est. Quæ
 enim non recipiuntur, etsi non sunt propria
 simpliciter, ut propria sunt, sunt tamen quate-
 nus vniuersalia. Ita fit ut non sit necesse om-
 ne vniuersale huius speciei recipi cum
 primo aliquo subiecto.

DE ACCIDENTE.

CAPVT. XI.



D E M V M accidentis nomen
 tribus modis potissimū acci-
 pi solet. Vno pro re, quæ sua-
 pte natura subiecto inhæret,
 cuiusmodi sunt color, & sa-
 por lactis, & similia. Altero
 pro quouis attributo non pertinente ad es-
 sentiam rei, de qua dicitur; quo pacto accidit
 rebus non solum omnia contingentia attribu-
 ta, vt ferro calidum esse, & homini esse candi-
 dum, aut Grammaticum, sed etiam plurima
 necessaria; nec quavis tantum necessitate, sed
 ex ipsa subiectorum natura ducta, vt homini
 esse risus, aut disciplinæ capacem. Qua signi-
 ficatione vsi sumus paulo ante in verbo, Acci-
 dit, vbi quadripartitam proprii diuisionem
 explicauimus. Tertio pro attributo, quod
 nec pertinet ad rei essentiam, neque ex ea ne-
 cessaria veluti emanatione profluit: quo pacto
 alia ratione accidit homini nigrum esse,
 alia esse disciplinæ capacem, quod hoc in ipsa
 hominis, quatenus homo est, natura habeat
 vnde oriatur, illud aliunde proueniat. Atque
 hæc

hæc est propria, & peculiaris ratio accidētis, quod quintam, extremamque facit vniuersalis speciem; modo accidens sumatur, non vt hoc aut illud numero, sed vt est pluribus commune. Nam etsi accidētis nomen nihil vniuersale præferret, potestq; pro singularibus æquè, atquè pro vniuersalibus accipi: ex ipso tamen Philosophorum vsu accommodatur significandæ huic extremæ speciei vniuersali, de qua nobis reliquus est futurus sermo.

Defeniri autem solet accidens hoc modo sumptum, quod adest, & abest sine subiecti corruptione. Item, quod contingit inesse, & non inesse. Ac demum, quod nec genus est, nec species, nec differentia, nec propriū, inest autem rei: quarum explicationum idem est sensus. Quibus in definitionibus loco generis intelligitur vniuersale, vt sic habeat prima definitio. Accidens est vniuersale, quod adesse, & abesse potest, affirmariq; ac negari de subiectis sine eorum euerfione. Atque eodē modo intelligi potest secunda definitio. Tertiam verò sic licet exponere; Quod pluribus quidem eadem ratione conuenire potest, verum non vt genus, aut species, aut differentia, aut proprium. Itaq; in omnibus his definitionibus extrema ponitur cōtingentia vt differentia

rentia accidentis constitutiua. Explicatius tamen definietur accidens, si dicatur vniuersale, seu quod prædicatur de pluribus in quaestione quale est, accidentaria, & contingenti prædicatione; vt apto ordine; primo loco excludatur indiuidua; deinde genera & species, tum verò differentia, postremò propria.

Complectitur autem hoc genus vniuersalium non tantum accidentia realia, sed etiam attributa rationis, negationesque quæ cõtingenter de pluribus dicuntur, atque adeò ipsas substantias more accidētium circumpositas, vt esse prædicatum, subiectum, cæcum, tenebrosum, indutum, ornatum, inauratum, munitum. Omnia enim hæc pluribus contingenter conuenire, deque illis affirmari possunt haud destructis rebus, de quibus dicuntur.

Diuiditur porrò accidēs in id quod reipsa separabile est, & in id quod inseparabile. Nā etsi omne accidens huius speciei prædicabilium, cogitatione, eaque negativa separari potest incolumi subiecto, quippe cuius naturæ in se considerata nihil repugnat illo carere; non tamen omnia re ipsa seiungi possunt, sed quædam possunt, quædam non item. Nā sedere separabile est, & cogitatione & re ipsa; simum verò esse, cæcum, & similia, cogitatio-

ne quidem separabilia sunt, non etiã reipsa) Qua in re latè patens discrimen cernitur inter accidens, & propriũ, quod nec reipsa, nec negativa cogitatione seiungi potest seruato subiecto. Si enim, exempli causa, neges, hominem esse disciplinæ capacem, ipsa negatione cogêris illum fateri, ne hominem quidẽ esse, cum ex ipsa natura humana necessariò consequatur ad disciplinas capeffendas aptitudo & propensio.

Potest etiam diuidi accidens in generale, & speciale, quemadmodum & differentia, & proprium; vt generale quidem dicatur de specie differentibus veluti album, vigilare, dormire; speciale verò de solis numero differentibus, vt ridere, Grammaticum esse.

Iam si accidentia cũ proprijs conferantur, fitq; sermo de veris ac realibus accidentibus, & proprijs, illud obseruari solet, quemadmodum propria primò conueniũt vniuersalibus, deinde per vniuersalia singularibus cõmunicantur; ita accidentia primò conuenire singularibus, deinde per singularia vniuersalibus attribui.

Quòd si accidens cum omnibus quatuor superioribus vniuersalium generibus comparatur, hoc discrimen, prater alia, quæ iam dicta sunt,

funt, inter ea cernitur, quòd quatuor illa semper habent actum essendi in pluribus cū aptitudine cōiunctū, siue ipsa, eorumue particularia existant, siue nō existant (semper enim verū fuit Socratem esse hominē, & animal, & rationis participem, ac disciplinæ capacē, etiam ante quā ille, eiusmodiq; prædicata in rerū natura existerēt; verumq; est nūc postquā diem clausit extremū; perpetuoq; verum erit) accidēs verò etsi ex omni æternitate habuit aptitudinem essendi in pluribus; non habet tamē actū, nisi cū & ipsum existit, & particularia, in quibus existit; vt calidum existens, in aqua, & ligno existentibus.

DE ALIIS QVIBVSDAM VNI

uersalium speciebus, quas ethnici Philosophi non agnouerunt.

Caput. XII.



ED quoniam diuina incarnatione factum est, vt natura diuina, & humana in vnā Christi Domini personā cōiunctis, verè dicamus illū & Deum esse, & hominem (id quod omnes vel in ipsa Christianæ fidei cate-

chesi didicimus) æquum est vt pro ratione loci exponamus, cuiusmodi sint hæ prædicationes, & cæteræ omnes, quibus vel diuinæ, vel humanæ naturæ attributa de Christo dicuntur; vtrum ad ea vniuersalium genera pertineant, quæ hæctenus explicata sunt, & à veteribus Philosophis tradita; an ne ad alia, quæ illis ignota fuerint, quæ proinde qualia sint explicare sit necesse. Neq; enim hæc prorsus dissimulanda sunt, & abscondenda ijs, qui iã Philosophiæ præludia excefferunt, manusq; conferere disputando incipiunt, quippe quibus hæc dubitatio tanquã de re omnibus nota facile proponi potest, vt intelligãt quot, & quæ tandem omnino sint vniuersaliũ species.

Atq; ex ijs, quæ supradicta sunt, per facile cognosci potest, quãdocunq; Deus, diuinæq; naturæ attributa de Christo dicuntur, nullam earum prædicationum ad vllum genus vniuersaliũ posse pertinere, cum diuina natura, cum qua idem sunt eius attributa omnia, non modo singularis sit, sed maximè etiã singularis.

At cum homo, & humana prædicata de illo affirmantur, distinguendus est vsus, & acceptio nominis Christi, seu *I E S U. D. N.* Nam si illud sumatur pro Christo Domino quatenus singularis quidã homo est, non tantum

tūm homo, sed humana quoque prædicata, quæ de eo enunciantur, perinde se ad illū habent, atq; ad cæteros homines. Subest enim homini Christus Dominus hoc pacto sumptus, vt suæ speciei, quæadmodū & cæteri homines; eodemq; modo animali, vt suo generi, atq; ita cæteris. Si verò sumatur, vt Deus est, secundaq; in diuinis persona; primū quidem fateri necesse est, hominem verā habere vniuersalis rationem illius respectu, eodemq; modo naturæ humanæ attributa, quæ de illo dicuntur, cū æquè potuerint omnia de alijs personis diuinis eadem ratione distributèq; prædicari, si earum singulæ singulas naturas humanas assumpsissent.

Cū autē quæritur ad quæ vniuersaliū genera pertineant, sunt qui velint, ea omnia ad quintum ex vulgatis speciebus referēda esse, quod homo & humana attributa non necessariō, sed contingenter de verbo diuino dicantur. Qua in sententia et si error est nullus, si intelligatur, vt ab illis exponitur; abstinendū est tamen à nomine accidētis, cū genera nostra, speciemq; humanam, eiusq; differentias específicas Christo Domino attribuimus, ne asserere videamur, illum naturam nostrā non substantialiter, sed accidentaliter sibi vniuisse

(quod credere impium est) neq; alio modo eam sibi copulasse, quàm quo Angeli induunt ea corpora, quibus in specie humana apparere hominibus solent.

Sunt igitur hæc omnia prædicata quædam contingentia comparatione diuini verbi, seu potius spontanea, ac libera; proinde nullum eorum prædicatur de illo quidditatiuè, aut essentialiter, aut necessariò, vt vel genus sit, vel species, vel differentia, vel proprium respectu illius, quatenus quidem hæc quatuor vniuersaliù genera ab Ethnicis Philosophis, nobisq; hætenus explicata sunt. Sed tamen alio modo quodam mirabili, multisq; seculis incognito (nisi quibus diuinæ bonitati placuit illam præmonstrare) priora tria dici posse genera, species, & differentias, nempe assumptiua genera, assumptiuasq; species, & differentias, quod verbo diuino per naturam assumptam, non per innatam diuinamq; conueniant; idq; non accidentali vnione, sed substantiali, & modis inter se ita diuersis, vt ad tres quasdam alias vniuersalium species meritò pertineant. Nã genera hæc, & species, etsi contingenter, tamen substantialiter prædicantur, idq; in quaestione, quod nam suppositum est; genera quidem de specie differētibus, siue in completè;

species

Species verò de differentibus numero, seu còpletè: at differentiæ contingenter, & substantialiter in quæstione quale est.

Quærenti enim quod nam suppositum sit verbum diuinum, seu cuius naturæ suppositum; cùm hæc quæstio substantiam quærat, aptè respondebit, tamen si incompletè, qui dixerit, esse suppositum naturæ sensitivæ, ac proinde animal, quod eadem ratione prædicari potuisset de differentibus specie, si quem admodum verbum diuinum humanam naturam sibi substantialiter vniuit, ita vniuisset spiritus sanctus naturam columbæ, cuius forma in Christi Domini baptismo apparuit. Còpletè verò (quod attinet ad naturam assumptam) respondebit, qui dixerit, esse suppositum naturæ humanæ, ac proinde hominem, cum in homine contineatur tota còmunis natura singulorum hominum. Demùm quærenti quale nam suppositum sit verbum diuinum substantiali qualitate, rectè respondebit, qui dixerit esse rationale, aut sensitivum.

Ex qua re patet, mysteriũ diuinæ incarnationis nobis aperuisse, non esse immediatam oppositionem inter prædicationem essentialem, & accidentalẽ, si propriè in scholis Christianæ Philosophiæ loquendum est, cùm inter

ter vtramq; sit media prædicatio quædã substantialis, quæ neq; essentialis est, neq; accidentalis propriè cum synceritate orthodoxæ fidei appellari potest.

Non videtur autem eadem ratio in proprietatibus, & accidētibus naturæ assumptæ, atq; in generibus, speciebus, & differentijs, vt ex illis duo item alia genera assumptiuorum vniuersaliū constitui debeant. Omnia enim propria, & accidētia naturæ assumptæ, si cū verbo diuino conferantur, verè cōprehenduntur in vulgata accidentis specie. Nam & risus capax, & ceteræ hominis proprietates, albumq;, & alia eius cōmunia accidētia prædicantur de verbo diuino accidentaliter, & contingenter, tametsi non ei conueniunt cū vera inhærentia, quo pacto eorū plerāq; conueniunt verbo diuino, vt homo est, & alijs hominibus. Neq; enim necessaria est vera inhærentia ad verā, & propriam quinti vulgati prædicabilis rationem; vt ex ijs quæ in eo explicādo dicta sunt perspicuum est. Atque hæc de vniuersalibus more Isagogico dicta sint, non tantum vt ab Ethnicis Philosophis sunt tradita, sed etiam vt in Christianæ Philosophiæ academijs explicari debent.

F I N I S.



Contar con Perros de

Figueroa


de campo y Curo	—	2500
de dos carrros de barro	—	120
de pien y curon	—	40
de tres curon	—	180
Suma de todo	—	480

De la Jimena y de
 76r. mellefuy curon
 gamos de la de. capi
 on y qviximo de fig.
 De la Jimena mit. Curon
 de. Nuy de. ~~de~~

Quoniam pax et concordia
in vobis. Deo laudibus
et gratiarum actionibus
semper et iniqua
crimine
Sed

Deo do vis

Repeti meia moeda
de oro a Conda Dalinda
Castana
Sed



Re

8